Noverint universi quod ego Chaterina Bartrana uxor Joannoti Bartran barbitonsoris quondam gratis et scienter ad bene videlicet meliorandum condirectam tenendum et in aliquo non deteriorandum
stabilio et in emphiteosim perpetuam concedo et trado vobis Joanni Stelric ferrifabro Maioricarum presenti et vestris quandam cameram cum eius terramine sive tarrat de pertinentiis quarundam
domorum mearum situatarum intus presentem civitatem Maioricarum in parrochia Sancte Eulalie in vico dicto de la Ferraria. Et tenentur sub allodio domini regis ad sextum de laudimio. Et afrontatur
tatur dicta camera ex duabus partibus cum dictis domibus meis. Et ex alia parte cum domibus Jacobi Barbara ferrifabri. Et ex alia parte cum domibus vestris dicti acquisitoris. Et in
parte inferiori affrontatur cum dictis domibus meis. Predictam itaque cameram cum parte superiori prout superius affrontatur includitur et terminatur cum omnibus in-
tegritatibus proprietatibus terminis tenedonibus pertinentiis introitibus et exitibus suis. Et generaliter cum omnibus aliis universis et singulis dicte camere pertinentibus et
pertinere debentibus quibusvis iuribus sive modis vobis dicto Joanni Stelric presenti et vestris stabilio ut superius dictum. Sub tali tamen pacto et conditione quod pro censu et melioramento
mento inde exeuntibus detis et solvatis vos et vestri mihi et meis in primo venturo festo Sancte Chaterine et abinde anno quolibet in dicto festo viginti solidos monete Maioricarum censuales quos possi-
tis redimere et quitare quandocumque volueritis ad rationem centum solidorum pro quolibet morabatino quitiorum. Est tamen certum quod ego dicta Chaterina retineo penes me dum vi-
ta mea servitutem ascendendi per domum vestram ad terramen dictarum domorum et finita vita mea dictum servitium erit extinctum et postea teneamini ex pensis vestris propriis
claudere terramen dicte camere vestre masserie sive mitianada que faciat divisionem inter dictum terramen meum et vestrum ut moris est. In his vero non proclametis neque eligatis
vos seu vestri alium dominum seu dominos nisi tantum dictum dominum regem et suos et me et meas in dicto meo censuali. Liceatque vobis et vestris post dies decem ex quo in dicto domino rege et
suis fatichati fueritis presentem acquisitionem vestram cum omnibus melioramentis et augmentis ibidem factis et de cetero faciendis dare vendere stabilire impignorare et alias
alienare indeque facere de predictis que vobis stabilio vestras et vestrorum omnimodas voluntates cuicumque seu quibuscumque volueritis exceptis tamen militibus atque Sanctis. Salvo ta-
men semper in predictis iure directo allodiali dominio laudimio et faticha ac scribania publica dicti domini regis et suorum. Promittens et bona fide conveniens vobis et vestris quod
predicta que vobis stabilio faciam vos et vestros et quos volueritis semper facere habere tenere et in sana pace perpetuo possidere ac deffendere contra omnes personas. Et teneor
inde vobis et vestris ac firmiter teneri promitto de evictione et omni damno ac etiam interesse litis et extra. Pro quibus omnibus et singulis supradictis sic complendis et invi-
olabiliter observandis obligo vobis et vestris omnia et singula bona mea habita ubique et habenda. Pro intrata vero huiusmodi stabilimenti confiteor et in veritate recognosco me a vobis
habuisse et recepisse quinque solidos monete Maioricarum super quibus renuncio exceptioni dicte pecunie non numerate non habite et non recepte et doli mali et actioni in factum.
Ad hec ego Joannes Stelric predictus his presens et dictum et dictum stabilimentum de predicta camera per vos dictam stabilitricem mihi supra factum sub modis formis pactis et
conditionibus ante dictis acceptans. Gratis et scienter promitto dictam cameram cum terramine bene meliorare condirectam tenere et in aliquo non deteriorare dictumque
censum vestrum anno quolibet solvere in suo anni termino sive festo. Ceteraque omnia alia et singula supradicta que per vos superius dicta sunt et narrata et per me attendenda
attendere servare et complere ac nullatenus contrafacere seu venire iure aliquo sive causa vel ratione ullo modo. Pro quibus omnibus et singulis supradictis sic complendis et in-
violabiliter observandis obligo vobis et vestris omnia et singula bona mea habita ubique et habenda. Renuncio quantum ad hec libelli oblationi acordio unius diei firme iuris dationi
pignoris ad decem dies et spacio quadrimestri temporis Maioricarum concesso bona mobilia non habentibus probonis immobilibus subhastandis et vendendis. Et foro meo et privilegio
fori mei submittens me et omnia bona mea foro districtui et iurisdictioni Magnifici baiuli Maioricarum seu illius iudicis seu curie apud quem seu quam me pro premissis malueritis
convenire in posse cuius seu quorum promitto ius facere eorum iurisdictionem in me porrogando et consentiendo. Actum est hoc in civitate Maioricarum die Jovis decima quarta
mensis Julii anno a nativitate domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo. Sig+num meum Chaterine Bartrana stabilitricis. Sig+num meum Joannis Stelric
acquisitoris predictorum. Qui hec laudamus concedimus et firmamus.

Sig+num mei domini Gregorii Burgues locumtenentis regii procuratoris qui hec laudo et firmo iure dicti domini nostri regis
semper salvis.

Testes huius rei sunt discretus Bartholomeus Fexa notarius et Nathalis Muntaner ferrifaber Maioricarum. In quorum presentia omnes firmarunt.

Sig+num meum Petri Mulet notarii publici Maioricarum tenentis et regentis [illegible] portionis instrumentorum regii patrimonii
regni Maioricarum. Qui hec scribi feci et clausi.

5

es pagat lo lluisme
Garranot

ARXIU MUNICIPAL CAMPANET

Carta de stabliment [illegible]
[illegible] Bartrana [illegible]
Barbera [illegible]
Joan [illegible]
de [illegible]

1547